INDEX

LECTIONVM

QVAE

AVSPICIIS REGIS AVGVSTISSIMI

GVILELMI

IMPERATORIS GERMANICI

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA

FRIDERICA GVILELMA

PER SEMESTRE AESTIVVM

A D. XVI M. APRILIS AD D. XV M. AVGVSTI A. MDCCCLXXXIV

HABEBVNTVR.

J. Vahlen
Quaestiones Juvenalianae

BEROLINI
FORMIS ACADEMICIS
(G. VOGT).

VNIVERSITATIS LITTERARIAE

FRIDERICAE GVILELMAE

RECTOR ET SENATVS.

In Iuvenalis satiris cum olim et nostra aetate magis grammaticorum severitas tot versus singulos aut etiam complures continuos ordine moverint, versum unum de tam multis in pristinum locum restituisse, si quidem contigerit, operaene pretium erit? Quamquam enim multa, quae hodie damnari solent, non indigna esse hoc poeta censemus, cuius nos ingenium non magnopere admiramur, quem vero tam sententiarum genere quam orationis filo et colore mirum quantum sui similem esse existimamus, tamen quoniam superbe obloqui viris eruditis et acutis taedet (libidini enim quid nisi libidinem opponas?), argumentando autem raro aliquid evinci posse iudicamus, unum versum, quem iusta demonstratione recuperare nobis videmur, explicatis rationibus ita defendere conabimur ut, si qua forte vis inesse in ipsa similitudine videatur, eadem opera pauci alii a criticorum iudicio vindicentur. In satira septima Iuvenalis cum artium omnium condicionem quae tum fuerit deplorandam exponat, post poetas et rerum scriptores tertio loco de causidicis ita disserit ut ipsos quidem magna de se suisque mercedibus*) iactare, sed re propius

---

*) Ad versum 108 *Ipsi magna sonant, sed tum cum creditor audit* haec est adnotatio scholiastae IPSI MAGNA S. *deest scilicet, quod divites se esse dicant praesentibus creditoribus suis.* Pro *deest,* quod falsum est, Schopenus *causidici scilicet* scribendum coniecerat, sed scribendum est haud dubie: IPSI MAGNA S. *de se scilicet.* Quae proxime praecedunt scholia ad v. 105 et 106 adscripta, 105 SED GENUS IGN. *historicorum fingamus genus ignavum quia in uno loco sedere desiderat.* 106 [DIC IGITUR]. *videamus quid consequuntur advocati,* ea falso ab Iahnio discerpta in unum contrahenda sunt idque ita scribendum et distinguendum: SED GENUS IGN. *historicorum. Linquamus genus ignavum quia in uno loco sedere desiderat: videamus quid consequuntur advocati.* Loquiturque interpres ut Cicero locutus est *linquamus naturam artesque videamus* (de or. 3, 46, 180).

inspecta eorum patrimonia vel vilis aurigae opibus longe superari doceat; qui quidem exigua lite prospere defuncti post sumptos labores pauca quibus fames sustentetur auferant, magna causa orata bonam partem ex mercede pacta pragmaticis reddere debeant. Aemilio quidem tantum dari quanti*) licuerit, non quo is melius agat aliis sed quod quadam nobilitatis et opulentiae iactatione inducat; eaque luxuriae aemulatione Mathonem, Pedonem perire, Tongilium quoque qui 'argentum murrina villas' causidici purpura spondente emat. His ita expositis semet ipse poeta ab inito cursu revocans pergit

Et tamen est illis hoc utile; purpura vendit
Causidicum, vendunt amethystina; convenit illis
Et strepitu et facie maioris vivere census.
— Sed finem impensae non servat prodiga Roma.
Fidimus eloquio? Ciceroni nemo ducentos
Nunc dederit nummos, nisi fulserit anulus ingens.

Agitur de versu (138) *sed finem impensae non servat prodiga Roma;* quem versum Heinrichius primus notavit, postea deinceps Ribbeckius, Iahnius (in altero quidem exemplo), Weidnerus, quis non? tamquam futile additamentum interpretis reiecerunt. Suffragiis si res agatur, quis non vereatur, ne nos qui dissentimus superstitione capti, ne quid scriptae litterae pereat, diiudicata lite defensitando operam ludere cupiamus; ac saepe nobis ipsi ob hanc insignem criticorum conspirationem diffisi sumus, cum sensus etiam atque etiam reclamaret non esse diffidendum sed audentius contra eundum. Rationes autem, quibus illa consentiens iudicum damnatio sustentetur, si quaerimus, quid affertur? Heinrichius, ut solebat more antiquo versus et verba interpretari, ad argumenti expositionem sententiarumque motum raro attendebat, hanc singularem quam putabat sententiam de nimia luxuria Romae (*'die Verschwendung in Rom geht aber auch gar zu weit.'*) supervacaneam et insulsam et 'sine omni dubitatione' extirpandam pronuntiabat asseverando magis terrens quam demonstrando persuadens. Cuius tamen iudicium de versu ipso Ribbeckius probans hoc amplius addidit, interiecta inepta prodigae Romae insectatione rumpi necessarium disputationis tenorem, quem qualem esse voluerit, his versibus expositis

purpura vendit
Causidicum, vendunt amethystina, convenit illis
137 Et strepitu et facie maioris vivere census:
139 Fidimus eloquio? Ciceroni nemo ducentos
Nunc dederit nummos, nisi fulserit anulus ingens

declarat, ita interpretatus, opulentiae speciem et eloquentiam inter se opponi mani-

*) *quanti licet* (v. 124) h. e. 'quanti se vendit' verissima est O. Iahnii emendatio; *quantum licet* quod traditum est interpretes frustra laborant explicare.

festo, quarum illa, non haec, causidico fidem et auctoritatem impertiat*). Ergo hoc agendum est praecipue, ut qualis sit ista orationis et sententiae cohaerentia quam planissime perspiciatur. In qua re si interpungendi ratione, qua illi utuntur, confidere licet, istas sententias omnes, a *purpura* ad *censum,* uno ordine decurrere volunt. Quod non ita esse, facile probari potest. Nam his *Et tamen est illis hoc utile* (ut magnifico videlicet splendore vitae praestringant) argumenti loco, ut *nam* particulam addere possis, subiiciuntur illa (*nam*) *purpura vendit Causidicum, vendunt amethystina.* A quibus forma ipsa evincit separari proxima *Convenit illis Et strepitu et facie maioris vivere census,* quae ad summam sententiam *Et tamen est illis hoc utile* redeunt eamque uberiore oratione referunt; quasi dicas *est illis hoc utile. Convenit inquam illis.* Eamque rationem vel verba quae posuit poeta indicant; quae enim 10, 348 componuntur ut synonyma (*quid Conveniat nobis rebusque sit utile nostris*), iisdem nunc variatur oratio sensu eodem. Eam autem sententiam cur repetat poeta si quaeritur, non videmus aliam causam nisi ut commodius contraria illi sententia adnectatur: *Convenit illis Et strepitu et facie maioris vivere census, Sed finem impensae non servat prodiga Roma.* In hac vero, quam iam apparet prave pro singulari quadam sententia habitam, quid iure reprehendatur, aegre dispicias: cum enim causidicos poeta criminetur impensae finem non servare, prodigam Romam appellat simul illud subindicans, in hac immodica luxuria Urbis fieri non posse, causidici ut luxuriae, qua tamen carere non possunt, modum adhibeant. Itaque sic haec distinguas, et apte colligatam orationem absolutamque sententiam habebis.

135 Et tamen est illis hoc utile: purpura vendit
Causidicum, vendunt amethystina. Convenit illis
Et strepitu et facie maioris vivere census,
138 Sed finem impensae non servat prodiga Roma.

Quodsi deleas versum 138, quoniam repetita quam diximus sententia pendet, pro rotunda et integra mancam orationem effeceris; nec solum haec sententia sine illo versu mutila exit, sed tota disputatio inde a v. 124 (cf. 129) quasi quaedam area sine calce videbitur. Namque eo maxime nomine commiseranda est causidicorum condicio, quod nisi se sperni et contemni volunt, cultus et victus nitore ora vulgi in se convertant oportet, et tamen illa luxuries eosdem quibus utilis est et necessaria denique ad rem frangendam adigit. Non putamus quicquam ad hunc perficiendum sententiarum orbem desiderari, immo ne addi quidem quicquam utiliter potuisse concedimus. Quae enim insequuntur, quae tota apponimus (quid enim parcimus periturae chartae?)

139 Fidimus eloquio? Ciceroni nemo ducentos
140 Nunc dederit nummos, nisi fulserit anulus ingens.

*) *Der echte und der unechte Iuvenal* (Berolini a. 1865) p. 131.

Respicit haec primum qui litigat, an tibi servi
Octo, decem comites, an post te sella, togati
Ante pedes. ideo conducta Paulus agebat
Sardonyche, atque ideo pluris quam Gallus agebat,
Quam Basilus. rara in tenui facundia panno:
Quando licet Basilo flentem producere matrem,
Quis bene dicentem Basilum ferat? accipiat te
Gallia vel potius nutricula causidicorum
Africa, si placuit mercedem ponere linguae

ea qui non impedito animo perpenderit fatebitur, per se integram argumentationis partem efficere, sic ut in fine redeat eo unde orsa est oratio: nempe novus in eadem disputatione locus affertur, h. e. quae ex adumbrato ante causidicorum statu qui Romae fuerit consectaria fiunt, concludendae rationis causa colliguntur. Hoc enim fere modo mentem poetae interpretari licet. 'Quae cum ita sint, stultum est eloquentiae confidere, qua hodie ne ingeniosissimus quidem quicquam praemii aut pretii parere possit nisi lenocinante magnificentia vitae: de hac enim primum quaerunt litigatores, non de eloquentiae facultate et peritia. quamobrem actores nihili ostentatione fallunt, boni et pauperes et qui istam iactantiam aspernantur, iacent contempti. itaque luxuriosa Roma cedendum est, in Galliam, in Africam, quae nutriunt causidicos, migrandum, si qui facundia quaestum facere cupiat.' Quae si recte exposuimus, intelligitur, Ribbeckium fugisse rationem, cum omisso versu 138 haec: *convenit illis Et strepitu et facie maioris vivere census: Fidimus eloquio?* ut contraria inter se arte teneri vellet. Quod contra nos universam de causidicis narrationem per suas partes ita distingui censemus, ut prima ad v. 123, altera ad v. 138 pertineat, tertia et ultima incipiat a v. 139; rationesque poetae paullatim progrediente disputatione tam dilucide explicari ut perspicuum esse possit eos qui versum 138 *sed finem impensae non servat prodiga Roma* tamquam vanam sententiolam demunt, cum partem alteram exitu suo fraudent, concinnam compositionem non leviter perturbare.

Summa huius demonstrationis est ut repetitae sententiae quae est in versu 136 sq. ratio et consilium recte iudicetur. Id genus componendi, quod hoc exemplo aperuimus, Iuvenali valde familiare fuit, qui saepe in media narratione insistit colligens superiora et insequentia praeparans; sed plerisque quae sunt huiuscemodi criticorum elegantia nocuit, qui si quid ad sententiae similitudinem accedit, praesertim unius versiculi finibus clausum, ab Iuvenale alienum iudicantes delent nonnumquam necessaria et quibus orationem carere vix posse credas, alibi ea quae sine damno maiore tolli posse nec tamen inutiliter aut sine certa ratione interposita esse, denique consuetudine poetae vindicari videantur. Exempla seligimus quae praecipue ad declarandam eam rem quam volumus apposita putamus et quibus quae est in ipsa similitudine varietas ostendatur, ea vero, quoniam de sin-

gulorum versuum usu nisi perspecta sententiarum serie et iunctura existimari non potest, plene perscribimus, quamquam fere paulo sunt prolixiora; sed erunt fortasse qui haec ita exposita considerent, quae in ipsis satiris tenente sensuum ac rerum pondere et varietate facilius negliguntur.

Sat. III, 164

161 quis pauper scribitur heres?
Quando in consilio est aedilibus? agmine facto
Debuerant olim tenues migrasse Quirites.
Haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat
165 *Res angusta domi, sed Romae* durior illis
Conatus: magno hospitium miserabile, magno
Servorum ventres*) et frugi cenula magno.

Sat. III, 264

257 Nam si procubuit qui saxa Ligustica portat
Axis et eversum fudit super agmina montem,
Quid superest de corporibus? quis membra, quis ossa
260 Invenit? obtritum vulgi perit omne cadaver
More animae. domus interea secura patellas
Iam lavat et bucca foculum excitat et sonat unctis
Striglibus et pleno componit lintea guto.
Haec inter pueros varie properantur, at ille
265 Iam sedet in ripa taetrumque novicius horret
Porthmea —

Sat. XII, 52

30 Cum plenus fluctu medius foret alveus et iam,
Alternum puppis latus evertentibus undis,
Arboris incertae**), nullam prudentia cani

---

*) Idem *servorum ventres* in primo versu recurrit 14, 126, quemadmodum *agmine facto* (162) in extremo legitur etiam 10, 218. Et in his levioribus sibi similis est Iuvenalis.

**) In distinguenda oratione, quae recte scripta est in libris, Madvigium (Opp. 2, 175) sequimur, qui nobis quidem (nam plerique in alia omnia discedunt) verissime interpretari videtur: *cum alveus medius fluctu plenus foret et iam arboris incertae*, id est, mali instabilis et iamiam casuri, quod efficiebatur ex gravissima iactatione, *alternum puppis latus evertentibus undis*. In uno dissentimus a viro eximio, quod cum ille hanc alteram protasin *nullam prudentia cani Rectoris conferret opem* priori ἀσυνδέτως adnecti statuat, nos *cum ferret opem*, quod est in plerisque libris (*conferret* Pithoeanus; de permutatione vide 13, 153), retinentes apodosis partem efficimus. *Cum alveus medius fluctu plenus foret et, alternum puppis latus evertentibus undis, iam arboris incertae: coepit, cum prudentia cani rectoris nullam ferret opem, iactu decidere cum ventis*. Quo genere Cicero scribit Parad. Stoic. 1, 1, 8: *Biantis cum*

Rectoris cum ferret opem, decidere iactu
34 Coepit cum ventis —
37 'Fundite quae mea sunt' dicebat 'cuncta' Catullus,
Praecipitare volens etiam pulcherrima, vestem
39 Purpuream —
43 Ille nec argentum dubitabat mittere, lances
. . . . multum
47 Caelati, biberat quo callidus emptor Olynthi.
Sed quis nunc alius, qua mundi parte quis audet
Argento praeferre caput rebusque salutem?
50 Non propter vitam faciunt patrimonia quidam,
Sed vitio caeci propter patrimonia vivunt.
Iactatur rerum utilium pars maxima, sed nec
Damna levant.

Sat. II, 19
14 Rarus sermo illis et magna libido tacendi
15 Atque supercilio brevior coma. verius ergo
Et magis ingenue Peribomius. hunc ego fatis
Imputo, qui vultu morbum incessuque fatetur.
Horum simplicitas miserabilis, his furor ipse
Dat veniam, sed peiores, qui talia verbis
20 Herculis invadunt et de virtute locuti
Clunem agitant.

Sat. VIII, 60
56 Dic mihi, Teucrorum proles, animalia muta
Quis generosa putet nisi fortia? nempe volucrem
Sic laudamus equum, facili cui plurima palma
Fervet et exultat rauco victoria circo.
60 *Nobilis hic, quocumque venit de gramine, cuius*
Clara fuga ante alios et primus in aequore pulvis,
Sed venale pecus Coryphaei posteritas et
Hirpini, si rara iugo Victoria sedit.

Sat. I, 139
132 Vestibulis abeunt veteres lassique clientes
Votaque deponunt, quamquam longissima cenae
Spes homini: caulis miseris atque ignis emendus.

---

patriam Prienam cepisset hostis ceterique ita fugerent, ut multa de suis rebus asportarent, cum esset admonitus a quodam ut idem ipse faceret 'ego vero' inquit 'facio' (conf. ann. gymn. Austr. a. 1873 p. 242), et in *si* particula Iuvenalis ipse 10, 74 sq.

Optima silvarum interea pelagique vorabit
Rex horum vacuisque toris tantum ipse iacebit:
Nam de tot pulchris et latis orbibus et tam
Antiquis una comedunt patrimonia mensa.
Nullus iam parasitus erit: sed quis ferat istas
Luxuriae sordes? quanta est gula, quae sibi totos
Ponit apros, animal propter convivia natum.

Et in his quidem exemplis, quorum in propatulo est quae sit similitudo inter ipsa et cum versibus quos supra disceptamus satirae septimae, nihil novatum est a criticis, sed in satira quinta cum haec legantur

Duceris planta velut ictus ab Hercule Cacus
Et ponere foris, si quid temptaveris umquam
Hiscere, tamquam habeas tria nomina. quando propinat
Virro tibi sumitve tuis contacta labellis
Pocula? quis vestrum temerarius usque adeo, quis
Perditus, ut dicat regi 'bibe'? *Plurima sunt quae*
Non audent homines pertusa dicere laena.
Quadringenta tibi si quis deus aut similis dis
Et melior fatis donaret homuncio, quantus
Ex nihilo, quantus fieres Virronis amicus.
'Da Trebio' 'pone ad Trebium' 'vis, frater, ab ipsis
Ilibus?' o nummi, vobis hunc praestat honorem,
Vos estis fratres. dominus tamen et domini rex
Si vis tu fieri, nullus tibi parvulus aula
Luserit Aeneas nec filia dulcior illo.
— *Iucundum et carum sterilis facit uxor amicum,*
Sed tua nunc Mycale pariat licet et pueros tres
In gremium patris fundat semel

prius illud exemplum (v. 130) communis sententiae quae et complectitur priora et cui opponuntur insequentia (licebat enim *Sed quadringenta*) non sane temptant, nec facile patiebatur metrorum conformatio, alterum (v. 140), utpote uno versu finitum, tolerandum esse negant; nec tamen eius ratio diversa est aut a superiore aut ab iis quae ante congessimus exempla: quippe de uno quod dixerat poeta, universo iudicio confirmat (possis *nam* particulam addere) simul ut praeparet sententiam contrariam et ieiunitatem orationis refugiat. Sed vide alia.

Sat. VI, 486

481 Verberat atque obiter faciem linit, audit amicas
Aut latum pictae vestis considerat aurum
Et caedit, longi relegit transversa diurni
Et caedit, donec lassis caedentibus 'exi'

Intonet horrendum iam cognitione peracta.
Praefectura domus Sicula non mitior aula.
Nam si constituit solitoque decentius optat
488 Ornari —
492 . . . . taurea punit
Continuo flexi crimen facinusque capilli.

Etenim singula poeta colligit sententia universa (486), cuius probandae causa rursus eiusdem crudelitatis argumenta afferuntur: hoc fere ad eum modum quo in satira prima argumentatur inde a v. 22 cum ita incipit *Cum tener uxorem ducat spado . . . Difficile est satiram non scribere* (30), tum per confirmativam particulam (*nam quis iniquae* cett.) novam seriem similium criminum connectit; neque diverso consilio in satira sexta versum 444 interiectum esse facile qui attenderit persentiet.

Sat. VIII, 140

Quodsi praecipitem rapit ambitio atque libido,
Si frangis virgas sociorum in sanguine, si te
Delectant hebetes lasso lictore secures,
Incipit ipsorum contra te stare parentum
Nobilitas claramque facem praeferre pudendis.
— *Omne animi vitium tanto conspectius in se*
— *Crimen habet, quanto maior qui peccat habetur.*
Quo mihi te, solitum falsas signare tabellas
In templis quae fecit avus statuamque parentis
Ante triumphalem? quo, si nocturnus adulter
Tempora Santonico velas adoperta*) cucullo?

Ribbeckius versus 140 sq. tamquam inane praeceptum delet, sed poeta quid voluerit aperiunt verba *Omne animi vitium.* Etenim expositis criminibus in administranda provincia quae fieri solent, per illam sententiam superiora complectens et confirmans transit ad vitia alia et quae praesidum provinciarum propria non sunt, in quae tamen omnia cadit idem, quod summum erat, insigniora esse vitia, quibus se homo nobilis commaculet. Nocuit igitur, non profuit, aptissimo disserendi modo, qui hos versus exemit. Similemque argumenta nectendi rationem habent versus satirae decimae quartae 233 sq. quos tamen nunc pluribus explanare nolumus. Rever-

---

*) Quod scribit, ut hoc in adnotatione addamus, *tempora velas adoperta cucullo* (145), eandem abundantiam habet 7, 84 *tanta dulcedine captos Adficit ille animos,* et quod Tibullus (1, 6, 67) dicit *quamvis non vitta ligatos impediat crines,* aut Ovidius (Amor. 3, 6, 56) *vitta nec evinctas impedit alba comas,* multaque multorum similia. Quo magis versus Catulliani integritas stabiliri videtur, in quem emendandum multa inutilis opera consumpta est: (64, 64) *Non contecta levi velatum pectus amictu;* cum enim *contecta velatum pectus amictu* concinne dicatur ad istam rationem, quemadmodum *incultas dispersa comas* Claudianus (de rapt. 1, 55), hoc totum quod unum est negatio complectitur.

timur ad satiram quintam, ex qua partem alteram satis extentam excerpimus, quae non uno nomine criticorum superba fastidia passa est.

Si stomachus domini fervet vinoque ciboque,
Frigidior Geticis petitur decocta pruinis.
— Non eadem vobis poni modo vina querebar:
Vos aliam potatis aquam. Tibi pocula cursor
Gaetulus dabit aut nigri manus ossea Mauri
Et cui per mediam nolis occurrere noctem
Clivosae veheris dum per monumenta Latinae.
Flos Asiae ante ipsum, pretio maiore paratus
Quam fuit et Tulli census pugnacis et Anci
Et ne te teneam Romanorum omnia regum
Frivola. Quod cum ita sit, tu Gaetulum Ganymedem
Respice cum sities: nescit tot milibus emptus
Pauperibus miscere puer. Sed forma, sed aetas
Digna supercilio: quando ad te pervenit ille,
Quando rogatus adest calidae gelidaeque minister?
Quippe indignatur veteri parere clienti
Quodque aliquid poscas et quod se stante recumbas.
— *Maxima quaeque domus servis est plena superbis.*
Ecce alius quanto porrexit murmure panem
Vix fractum, solidae iam mucida frusta farinae,
Quae genuinum agitent, non admittentia morsum;
Sed tener et niveus mollique siligine factus
Servatur domino. dextram cohibere memento,
Salva sit artoptae reverentia. finge tamen te
Improbulum, superest illic qui ponere cogat:
'Vis tu consuetis audax conviva canistris
Impleri panisque tui novisse colorem?'

Nam quod versum 51 spurium iudicant, quem Iahnius in utroque exemplo uncinatum dedit, quamquam diversum genus est et quod suam disquisitionem poscat, tamen ab ea causa quam nunc agimus non plane abhorret. Neque enim inconsulto poeta admonet eorum quae ante dixit; nam apparet *aliam* omisso versu 51 quam debile sit (est enim 'aliam quam dominus'), quo reposito sua vis pronomini et sententiae acerbitas constat: 'querebar vos non idem vinum bibere cum domino: ne aquam quidem eandem potatis.' In proximis inde a v. 59 interpungendo videmur sententiam patefecisse, quam interpretes non recte ceperunt. 'Quod cum ita sit (h. e. cum ille tantis pretiis paratus sit), tu Gaetulum istum (quem ante horridulum depinxit poeta) respice cum sities: (nam) *nescit tot milibus emptus pauperibus miscere puer.*' Abundantiam orationis quae in his quoque conspicua est velimus eos

attendere, qui si qua luxuriantia in his carminibus offendunt falce critica resecare animum inducunt. Ceterum similia infra (p. 14 n.) in satirae undecimae versu 109 attigimus. Deinde nova praeparatur sententia: 'Sed illi tamen forma et aetas quandam veniam dat superbiae: quid hic cui nec forma nec flos aetatis est? benignioremne se tibi ministrum praebet? immo indignatur quod aliquid poscas et quod se stante recumbas.' Denique interponitur versus 66 *Maxima quaeque domus servis est plena superbis,* quem Heinrichius removit neque posteriorum quisquam restituere ausus est. Et nos miramur fuisse qui quid ageret poeta non perspicerent: qui postquam duos dixit ministros superbientes erga pauperem clientem, quorum alter habet tamen aliquam causam superbiae, alter nullam, insistit paulisper, interiecto iudicio quod ex prioribus repetit et confirmat insequentibus, dein ad intermissam orationem redit. 'Superbi aquae vinique ministri: nimirum abundat divitum domus servis superbientibus: ecce alius quam fastuose tibi panem porrigit mucidum, et si meliorem notam domino sepositam attingere audeas, superest etiam qui inclementius te corripiat ac vetet.' Quae ratio exponendi tam apta tamque prudenti consilio instituta videtur, ut poetae manum, non laevam interpolatoris sedulitatem, prodi credas. Ac vide compar exemplum in satira duodecima, quod cum nemo temptarit, illi aliquid praesidii propter similitudinem afferre posse videatur. Tempestas describitur:

17 Nam praeter pelagi casus, et fulminis ictus
Evasit: densae caelum abscondere tenebrae
Nube una subitusque antemnas impulit ignis,
20 Cum se quisque illo percussum crederet et mox
Attonitus nullum conferri posse putaret
Naufragium velis ardentibus. *Omnia fiunt*
Talia, tam graviter, si quando poetica surgit
Tempestas. genus ecce aliud discriminis audi
25 Et miserere iterum —

et sive (v. 23) *si quando* retines quod libri testantur, sive *quam quando* reponis quod Madvigius (sed in alia orationis forma) commendabat et Iahnius probavit, generalis est haec sententia transeundi causa media inter descriptionis partes interposita non aliter aliove consilio quam in satira quinta. Complectendo fit transitus etiam 10, 88, post exposita sermocinantium dicta,

hi sermones
Tunc de Seiano, secreta haec murmura vulgi.
Visne salutari sicut Seianus —

Et saepe hoc idem efficitur *ergo* particula addita, quae quo magis Iuvenali in deliciis fuit eo saepius criticorum nares offendit. Nil mutarunt

Sat. XIV, 244
Ergo ignem, cuius scintillas ipse dedisti,

Flagrantem late et rapientem cuncta videbis:
Nec tibi parcetur misero trepidumque magistrum
In cavea magno fremitu leo tollet alumnus.

Repetit autem poeta summam superioris disputationis qua hoc agit iam inde a versu 210 ut 'mentis malae' qua filius ad omnia nefaria rapiatur 'causam et originem' penes patrem (v. 226) esse edoceat qui 'laevo monitu' viam avaritiae monstraverit; et repetit concludendo ut hoc nunc novum quasi fastigium imponat, ne ipsi quidem patri filium, magistro infelici alumnum, parsurum esse. Et iam ante in eadem satira cum ita increpat patrem

59 Hospite venturo cessabit nemo tuorum.
'Verre pavimentum, nitidas ostende columnas,
Arida cum tota descendat aranea tela,
Hic leve argentum, vasa aspera tergeat alter,'
Vox domini furit instantis virgamque tenentis.
Ergo miser trepidas ne stercore foeda canino
65 *Atria displiceant oculis venientis amici,*
Ne perfusa luto sit porticus, et tamen uno
Semodio scobis haec emendat servulus unus:'
Illud non agitas, ut sanctam filius omni
Aspiciat sine labe domum vitioque carentem

conclusione facta (64 sq.) refert superiora: quo consilio? nempe ut contrariis compositis pondus opprobrii crescat. Ad eandemque consuetudinem revocandi fortasse sunt satirae decimae versus 54 et 55 qui prave exarati sunt in libris

Ergo supervacua aut perniciosa petuntur,
Propter quae fas est genua incerare deorum

(nam hiatus in brevi syllaba ferri non potest, et pendent aut adversantur proxima) neque dum certa emendatione restituti: nam sive cum Lachmanno scribis *supervacua aut ne perniciosa petantur* insequente interrogatione, sive Madvigium sequeris *incerate* proponentem versu primo non mutato, neutra ratione satis nexui sententiarum consuli sentimus. Nobis Iuvenalis ita scripsisse videbatur

Ergo supervacua aut [sibi] *perniciosa petunt nec*
Propter quae fas est genua incerare deorum.
Quosdam praecipitat subiecta potentia magnae
Invidiae.

Sic certe haud inepte poeta a diverticulis redire videatur ad eam unde orsus est sententiam, nescire homines quid votis appetant quid non (cf. v. 8), quam deinceps per sua genera comprobare pergat. Sed quidquid de coniectura nostra iudicatur (neque ponimus fidenter admodum), superiora illa exempla qui contulerit et quotiens Iuvenalis conclusionis formula capita disputationis finire soleat attenderit, velut ter in una satira octava

37 ergo cavebis
Et metues ne tu sic Creticus aut Camerinus.

68 Ergo ut miremur te, non tua, privum aliquid da,
Quod possim titulis incidere praeter honores,
Quos illis damus ac dedimus quibus omnia debes.

209 Ergo ignominiam graviorem pertulit omni
Vulnere cum Graccho iussus pugnare secutor,

adde 12, 126 *Ergo vides quam Grande operae pretium faciat iugulata Mycenis;* 11, 21 *Refert ergo quis haec eadem paret*, haec igitur qui reputaverit, cavebit nimirum, ne similia demendo sua adimat poetae in magnis minutisque eosdem saepe sulcos ducenti. Id quod accidisse existimamus conclusione extincta

et Sat. III, 104

rides, maiore cachinno
101 Concutitur; flet, si lacrimas conspexit amici,
Nec dolet; igniculum brumae si tempore poscas,
Accipit endromidem; si dixeris 'aestuo', sudat.
— *Non sumus ergo pares; melior qui semper et omni*
105 Nocte dieque potest aliena sumere vultum
A facie, iactare manus, laudare paratus,
Si bene ructavit, si rectum minxit amicus.

Nam apparet poetam claudere rationem ut in coepta materia pergat gravioraque ex eodem genere afferat (velut 6, 486, de quo supra p. 10, et 11, 21); id quod eo utilius institui videtur, quia illa summa est sententia, quam comprobandam sibi sumpsit inde a versu 60 *non possum ferre Graecam urbem.* Itaque ut ante (v. 92) scribit *haec eadem licet et nobis laudare sed illis Creditur* et infra (v. 119) *non est Romano cuiquam locus hic ubi regnat Protogenes aliquis*, sic nunc apposite concludendi formula lectorem admonet eius quod effici voluit, neminem Romanum Graecorum adulationi ac perfidiae parem esse posse.

et XI, 99

Tales ergo cibi qualis domus atque supellex.

Insistit enim et hoc loco Iuvenalis et quae iam enarravit de maiorum simplicitate tam cenae quam supellectilis concludendo complexus eandem telam pertexit, ut exposito illorum contemptu argenti praeterquam in armis rursus in similem conclusionem evadat:

108 Ponebant igitur Tusco farrata catino:
109 Argenti quod erat solis fulgebat in armis*).

---

*) Hoc ordine se duo versus excipiunt in libris, quo mutato labant omnia. Postponitur autem priori versus 109 *Argenti quod erat* -, cuius sententia, quae efficitur ex

Utroque autem loco dum singulares versus quos nexu solvere licet neglecto poetae more tollunt, sermonis iter quasi quibusdam ἀναπαύλαις distinctum ultro denudant utilitate nulla. His accedat

Sat. III, 281

Ebrius ac petulans, qui nullum forte cecidit,
Dat poenas, noctem patitur lugentis amicum
Pelidae, cubat in faciem, mox deinde supinus.
— *Ergo non aliter poterit dormire: quibusdam*
Somnum rixa facit. sed quamvis improbus annis
Atque mero fervens cavet hunc, quem coccina laena
Vitari iubet et comitum longissimus ordo,
Multum praeterea flammarum et aenea lampas.
Me, quem luna solet deducere vel breve lumen
Candelae, cuius dispenso et tempero filum,
Contemnit.

Qui enim expungunt versum notatum, primum sententiam deteriorem reddere videntur, si quidem verum non est rixam somnum facere, verum quibusdam facere somnum; deinde in omni ista oratione poetae consuetudinem expressam agnoscimus, qui, cum hoc probare velit, pauperem praeter cetera pericula iurgiis nocturnis esse expositum, artificio usus, quod idem est in satira septima v. 115 sqq., incipit a narrando: 'homo petulans et ebrius quia forte dum noctu domum repetit neminem cecidit, totam noctem lecto versatur insomnis, quemadmodum lugens Patroclum Achilles. ergo vides*) eum aliter (h. e. non rixatum) somnum capere non posse: (nam) *quibusdam Somnum rixa facit.* sed tamen quamquam hoc ita est, ille quamvis improbus et vino fervidus a divite et qui magno comitatu stipatus incedit, sibi cavebit, pauperem contemnit**) et ultro incessit.' Nihil in his vituperamus et conclusionem istam quae multis offensioni fuit scite narratione formata sua sponte ac paene necessario nasci putamus.

Trahit causae similitudo dum alia omittimus ut unum etiam versum satirae septimae interpolationis suspicione liberare conemur. Haec scripta sunt in libris

---

superioribus, causali particula subiungi poterat, plane ad eundem modum quem in satira quinta v. 60 ostendimus supra p. 12.

*) Sic interpretamur; neque enim interrogativum, quod vulgo credunt, sed affirmativum est enuntiatum. Confer 12, 126 *Ergo vides quam grande operae pretium faciat iugulata Mycenis.* Futurum autem *poterit* est condicionale, ut 1, 135.

**) h. e. *non timet*, ut 5, 102

dum se continet Auster,
Dum sedet et siccat madidas in carcere pinnas,
Contemnunt mediam temeraria lina Charybdim.

48 Nos tamen hoc agimus tenuique in pulvere sulcos
Ducimus et litus sterili versamus aratro.
50 Nam si discedas, laqueo tenet ambitiosi
— Consuetudo mali, tenet insanabile multos
Scribendi cacoethes et aegro in corde senescit.
Sed vatem egregium, cui non sit publica vena,
Qui nihil expositum soleat deducere, nec qui
55 Communi feriat carmen triviale moneta,
Hunc, qualem nequeo monstrare et sentio tantum,
Anxietate carens animus facit.

Gratuletur sibi Iuvenalis et exultet non quemvis immodulata poemata videre, quoniam ei unum tantum ex his versibus criticorum opera subripuit. Sed is dum vatem egregium adumbrat, se certe egregium non probavit, quamquam ne deteriorem quidem quam esse solet aut potest: ita laboriose quam tenuem sententiam quanto verborum strepitu obruit (quid enim dicit nisi poetam egregium qui nihil vulgare facit?) cumque tritas imagines undecumque, a vena, filo, moneta, decerptas congesserit, ne sic quidem sibi satis facit nisi Tulliana sapientia quam saepe depascit ascita inanem sententiam cumulo imponat. Hic si verus est Iuvenalis, neque quisquam dubitavit, quid bonam partem huius poesis ab aliena incude repetimus? Nam semper idem est hic poeta, et pomorum praestantiam si extollit (5, 150)

150 Poma dari, quorum solo pascaris odore,
Qualia perpetuus Phaeacum autumnus habebat,
Credere quae possis subrepta sororibus Afris

et si pravitatem olei (5, 88)

illud enim vestris datur alveolis, quod
Canna Micipsarum prora subvexit acuta,
90 Propter quod Romae cum Boccare nemo lavatur,
Quod tutos etiam facit a serpentibus atris*)

aut generis priscam nobilitatem (8, 131)

131 Tu licet a Pico numeres genus, altaque si te
Nomina delectant, omnem Titanida pugnam
Inter maiores ipsumque Promethea ponas,
134 De quocumque voles proavum tibi sumito libro**);

---

*) Versus 91 deest in codice Pithoei solo; sed poetae stilus clamat verum esse; et desiderantur alia in hoc codice quae abesse non possunt, velut in satira sexta non uno loco.

**) Quodsi reprehendas versum 134, in quo *librum poema* vel *tragoediam* interpretamur, reprehendas merito, modo ne Iuvenali eripias, qui exaggerandi modum servare nescit neque nisi κορωνίδα ἐπιθεὶς acquiescere, velut 5, 56 sqq.

omnia eiusdem farinae, quam meliorem non reddas uno aut altero ex iis versu dempto. Sed redimus illuc. Iahnius igitur ab ea opinione profectus qua putabat *consuetudo mali* esse interpretamentum graeci nominis *cacoethes*, omisso versu 51 ab Iuvenale haec tantum scripta esse posuit

50 Nam si discedas, laqueo tenet *ambitiosum*
52 Scribendi cacoethes et aegro in corde senescit;

reliqua initio sumpto ab isto interpretamento nescio quem versificatorem addidisse, simul, quod tum necessarium erat, *ambitiosum* mutato in *ambitiosi*. Probavit coniecturam Ribbeckio eamque ipse ne in repetita quidem Iuvenalis editione omisit. Non assentimur, ne ferri quidem posse rati ea quae hac emendandi via parta sunt. Cum enim *si discedas* in hoc orationis tenore sit *si discedas a scribendo* inutiliter et parum apte ad *cacoethes* adiicitur *scribendi* neque proxima sententia *et aegro in corde senescit* satis concinne cum condicionali isto enuntiato iungitur. Quanto ùtrumque melius, si hanc ab illa sententiam separamus, *Tenet insanabile multos Scribendi cacoethes et aegro in corde senescit;* in qua nihil esse intelligitur quod non perspicue ad hanc orationem accommodatum sit. Itaque sic sermonem distinguentes (nam ne Weidnerus quidem cum versum retineat aut interpungendo aut explicando satisfacit)

50 Nam si discedas, laqueo tenet ambitiosi
Consuetudo mali. *Tenet insanabile multos*
Scribendi cacoethes et aegro in corde senescit,
53 *Sed vatem egregium*
57 Anxietate carens animus facit

duas statuimus sententias secretas, quarum altera *si discedas, laqueo tenet ambitiosi Consuetudo mali* plena per se superiorem poetae querelam claudit aptissime, causa etiam indicata cur poetae quamvis infructuosum opus deserere nolint; altera *Tenet insanabile multos Scribendi cacoethes et aegro in corde senescit* et ipsa integra oppositionis gratia interiecta colore sumpto ab illa percommode transitum parat ad ea quae deinceps poeta de *vate egregio* exsequitur. 'Sunt sane multi quos scribendi cacoethes etiam in aegritudine teneat, sed vatem verum animus anxietate carens facit.' Quae si ita recte interpretamur, intelligi par est, Ribbeckium iniuria et *tenet* repetitum et *multos* vituperasse, cuius loco *te* pronomen expectandum fuisse scribit plane praeter sententiam poetae. Illud quoque apertum videtur, hanc orationis conformationem quam declaramus, quamquam aliquid proprii habet ac diversi, tamen quodam cognationis vinculo coniungi cum illis quae adhuc tractavimus.

---

pretio maiore paratus
Quam fuit et Tulli census pugnacis et Anci
Et ne te teneam Romanorum omnia regum
Frivola.

Unum genus versuum insiticiorum quos credunt paulo latius per Iuvenalis libros persecuti sumus ut quaedam ratio explicandi sententias Iuvenali perquam familiaris patefieret, si forte hac via fieri posset ut firmius stabiliretur iudicium quod fecimus de versu satirae septimae a quo huius disputationis argumentum repetivimus. Sunt alii dicendi narrandi disserendi modi huic poetae proprii aut praecipue frequentati, in quos inquirat oportet qui de aliis versibus haud paucis quos hodie habent additicios recte statuere velit. Velut, hoc ut admonendi causa addamus (scribimus enim doctis iuvenibus quorum studia regere solemus), quae leguntur

Sat. IV, 78

Pegasus attonitae positus modo vilicus urbi.
Anne aliud tunc praefecti? quorum optimus atque
Interpres legum sanctissimus omnia quamquam*)
Temporibus diris tractanda putabat inermi
Iustitia.

Sat. VI, 75

Solvitur his magno comoedi fibula, sunt quae
Chrysogonum cantare vetent, Hispulla tragoedo
Gaudet: *an expectas* ut Quintilianus ametur?

Sat. VII, 199

Ventidius quid enim, quid Tullius? *Anne aliud* quam
Sidus et occulti miranda potentia fati?

Sat. X, 207

iacet exiguus cum ramice nervus
Et quamvis tota palpetur nocte iacebit.
Anne aliquid sperare potest haec inguinis aegri
Canities?

Sat. XIII, 153

Haec ibi si non sunt, minor extat sacrilegus, qui
Radat inaurati femur Herculis et faciem ipsam
Neptuni, qui bratteolam de Castore ducat.
An dubitet solitus totum conflare Tonantem?

Sat. XIV, 265

ergo omnia Florae
Et Cereris licet et Cybeles aulaea relinquas:

---

*) Ribbeckius, qui versum 78 delet, quod inter cetera argumenta contendit, *quamquam* in illa oratione *quamquam diris temporibus* Iuvenalis usu respui, *quamvis* requiri, in eadem satira v. 60 haec leguntur

Utque lacus suberant, ubi *quamquam diruta* servat
Ignem Troianum et Vestam colit Alba minorem,
Obstitit intranti miratrix turba.

Tanto maiores humana negotia ludi.
An magis oblectant animum iactata petauro
Corpora?

Sat. XV, 122

quae tanta fames infestaque vallo
Arma coegerunt tam detestabile monstrum
Audere? *Anne aliam* terra Memphitide sicca
Invidiam facerent nolenti surgere Nilo?

Sat. VII, 179

porticus, in qua
Gestetur dominus, quotiens pluit: *anne serenum*
Expectet spargatque luto iumenta recenti?
Hic potius, namque hic mundae nitet ungula mulae

haec in unum locum collecta dum perlustramus in eam sententiam ducimur ut omnia, quippe quae unum eundemque morem poetae referant, se invicem tutari arbitremur; quodque horum postremum fecimus exemplum, in eo quod ad interrogationem acerbam cum pari irrisione respondetur, *hic potius, namque* —, quamquam ita comparatum iudicamus ut vel sine exemplo ullo tolerari debeat, nisi qui poetas veteres in ordinem cogere cupiat, fuit haec et huius poetae et multorum consuetudo, qui interrogationi etiam si per se plana responsum non desiderabat tamen addere non sine vi quadam solebant. Quod genus cum nuper tetigimus dum versum Electrae tutamur, tum similia vide Iuvenalis; in satira decima v. 94

Visne salutari sicut Seianus, habere
Tantundem atque illi summas donare curules,
Illum exercitibus praeponere, tutor haberi
Principis augusta Caprearum in rupe sedentis
Cum grege Chaldaeo? *Vis certe:* pila cohortes
Egregios equites et castra domestica, quidni
Haec cupias?

in eadem v. 337 de Messalina Silio nubente

dudum sedet illa parato
Flammeolo Tyriusque palam genialis in hortis
Sternitur, et ritu decies centena dabuntur
Antiquo, veniet cum signatoribus auspex.
Haec tu secreta et paucis commissa putabas?
Non nisi legitime vult nubere.

Hoc enim modo haec interpungenda statuimus: quo facto suam utrique loco perspicuitatem quae adhuc desiderabatur reddideris*). Denique ut perficiamus hanc

*) Confer 7, 90 *Tu Camerinos Et Baream, tu nobilium magna atria curas? Praefectos Pelopea facit, Philomela tribunos.*

causam quoniam semel tetigimus, in ea re certe nimius est Ribbeckius, ut fit, cum latam adamatamque sententiam omni modo perferre cupimus, quod *Hic potius* non repetito verbo vix recte aut facile intelligi posse criminatur. Nam in hac orationis concinnitate omissum verbum legentem impedire non potuit et satis scite poeta cum deliberationem quasi ex mente divitis referat succinctum dicendi modum praetulit, ut solent qui secum deliberant. Ne dicamus hoc breviatum dicendi genus etiam alibi aliisque condicionibus Iuvenali valde placuisse, velut, 3, 140 *Protinus ad censum (de moribus ultima fiet Quaestio)* '*quot pascit servos?*' 11, 4 *omnis Convictus thermae stationes, omne theatrum De Rutilo.* Sed omittimus hoc persequi longius: volumus enim priusquam disputationi iam nimis extentae finem imponamus, pauca alia, quibus harum satirarum interpretatio adiuvari posse videatur, breviter perstringere.

Ac primum verbo dicemus de versu 165 satirae septimae: sed prius totus tenor orationis proponendus est.

'Mercedem appellas? quid enim scio?' 'Culpa docentis
Scilicet arguitur, quod laeva parte mamillae
Nil salit Arcadico iuveni, cuius mihi sexta
Quaque die miserum dirus caput Hannibal implet,
Quidquid id est de quo deliberat, an petat urbem
A Cannis, an post nimbos et fulmina cautus
Circumagat madidas a tempestate cohortes.
Quantum vis stipulare et protinus accipe *quid do*
Ut totiens illum pater audiat.'

Sententia universa non obscura et inest quaedam insignis acerbitas in eo, quod cum alter se mercedem pactam magistro soluturum neget, quia discipulus nihil didicerit, rhetor eum poscere iubet quantum se dare velit, ut pater totiens declamantem audiat quotiens ipse cum summo taedio audierit. Sed haerent neque se expediunt in verbis *quid do* (v. 165): sic enim exaratum est in codice Pithoei, accedente testimonio Prisciani, neque ferri potest quod ex plerisque libris olim vulgo legebatur *accipe quod do.* Itaque ad corrigendi opem confugientes varia proponunt, *quin do* Mommsenus, '*quidum?*' Lachmannus, *qui do* (h. e. *qua condicione*) Ribbeckius: quae singillatim expendere supersedemus, quoniam persuasum est nobis, non emendatione verba, sed explicatione, sed interpunctione, qua explicatio contineri solet, indigere.

Quantum vis stipulare et protinus accipe, quid do?
Ut totiens illum pater audiat.

Etenim post illa *quantum vis stipulare* (h. e. *quantum vis roga,* ut scholiastes interpretatur et Priscianus, recte ad sensum, non ad verbi proprietatem) *et protinus accipe* cum festinationis significatione et quo magis se paratum esse fateatur quidquid ille petat dare, infert interrogationem rectam *quid do?* cum possit *dic quid*

dem? in quo *quid* valet *quantum,* quemadmodum 3, 184 *quid das, ut Cossum aliquando salutes?* et praesens indicativi verbi in interrogando positum (ex nostro loquendi more, *wieviel soll ich zahlen,* vel coniunctivum vel futurum expectaveris) eam vim rationemque habet, quam Madvigius (opp. 2, 41) explicuit exemplisque firmavit, in quibus Iuvenalis uno, 3, 296 *Ede, ubi consistas: in qua te quaero proseucha?* quod recte nec uno nomine comparari potest cum nostro.

In satira secunda inde a versu 36 Iuvenalis Laroniam cum Stoicidis 'qui Curios simulant et Bacchanalia vivunt' expostulantem facit.

Non tulit ex illis torvum Laronia quendam
Clamantem totiens 'ubi nunc lex Iulia? dormis?'
Atque ita subridens 'felicia tempora quae te
Moribus opponunt. habeat iam Roma pudorem.
Tertius e caelo cecidit Cato. sed tamen unde
Haec emis hirsuto spirant opobalsama collo
Quae tibi? ne pudeat dominum monstrare tabernae.
Quod si vexantur leges, *at iure citari*
Ante omnes debet Scantinia. respice primum
Et scrutare viros. faciunt hi plura, sed illos
Defendit numerus iunctaeque umbone phalanges:
Magna inter molles concordia.

Multa sunt in his versibus quae cum stilum Iuvenalis proprium exhibeant ad defendenda similia criticorum fastidio vexata convertas, sed nos de uno versu disserimus quadragesimo tertio: quem Iahnius ita ut supra scripsimus de sua coniectura edidit in utroque quod paravit Iuvenalis exemplo, eandemque scripturam Ribbeckius, Weidnerus suis editionibus haud cunctanter propagarunt. A quibus ita dissentimus, ut si haec scripta essent in libris, ne sic quidem poetae obtrudi licere largiremur. Etenim primum *at* particulae adversativae in ea sententia quae nihil habet adversativi locus non est: recte Plautus *Si me derides, at pol illum non potes;* nunc simplex ex praemissa condicione fit conclusio nulla vi oppositionis: 'si leges citantur, prima lex Scantinia debet citari;' ut Electra ratiocinatur *εἰ κτενοῦμεν ἄλλον ἀντ' ἄλλου, σύ τοι Πρώτη θάνοις ἄν.* Porro *iure* abundanter, ne dicamus prave, cum *debet* verbo in una oratione iungitur, quorum alterum utrum poni satis erat: 'si leges vexantur, iure Scantinia lex ante omnes citatur;' aut 'si leges vexantur, ante omnes Scantinia lex citari debet'; utrumque coniunctum moleste sententiam onerat. Quamobrem redeundum esse censemus ad eam scripturam quae olim vulgabatur et quae unica est in scriptis libris *Quod si vexantur leges ac iura, citari Ante omnes debet Scantinia;* in qua nos nescimus quid non probe elatum sit. Nam *leges ac iura* et nunc apte componuntur et iterum iuncta in eadem satira leguntur versu 72 *te leges ac iura ferentem.* Neque *iura* additum prohibet, quominus *omnes* intelligantur *leges;* certe 10, 295

Sed vetat optari faciem Lucretia qualem
Ipsa habuit, cuperet Rutilae Verginia gibbum
Accipere atque suam Rutilae dare,

suam post interiectum *gibbum* difficilius ad *faciem* redit. Quid ergo erat quod Iahnium, hominem prudentissimum, moveret ut aptissimam librorum scripturam loco deiiceret, coniectura reponeret quod nullo pacto placere potest? Nempe scholium ad hunc versum adscriptum istam testari orationem visum est: quod scholium Iahnius ita edidit 44 AC IURE CITARI [SCANTINIA]. *lex de infamibus puniendis.* *Scantinia* voce ab ipso adiecta. Atqui cum hoc uno scholio si res esset, sic ratiocinaremur, quoniam ibi *ac iure* extat, non *ac* depravatum sed pusillo errore *iure* scriptum pro eo quod debebat *iura.* Sed incurrimus in quaestionem late patentem, cuius si non profligandae at exponendae occasionem ab illo versu datam non omittemus. Etenim Iahnium species decepit qui, quia adnotatio ista *lex de infamibus puniendis* legem *Scantiniam* dicit, et hoc nomen ad lemma adiiciendum et ex interpretis mente a verbis *ac iure citari*, quippe quae aliter addendi causa non esset, novam orationem ordiri putavit. Quorum utrumque falsum esse, lemmatum naturam perspicienti facile persuadebitur: quae quamvis minime obscura sit, tamen ab iis qui his vetustae interpretationis reliquiis operam impenderunt cum magno scholiorum damno neglecta est. Nimirum interpres adnotamentis suis non tam poetae verba aut sententias vel sententiarum particulas quas interpretatur sed eorum versuum in quibus legitur quod declarandum putavit initia aut extrema praemittit, nonnumquam utrumque, et initium et finem, quo magis patefiat, versus, non verba, significari. Quod ita esse intelliget qui vel ad unam satiram scholia adscripta perlustraverit neque dubitabit aut a vera sententia seduci se patietur propterea quod consuetudini paene constanti nonnulla immixta sunt quae adversantur, sed quorum plerumque facilis explicatio est. Ex ea vero ratione locos et versus, non verba et orationem, indicandi natum est quod saepe in his lemmatis adduntur quae ad interpretationem nihil pertinent, omittuntur autem ea ipsa quae explicantur. Quod cum Iahnius nescio quo casu non attendisset, factum est ut saepe suo arbitratu ad lemmata adiiceret, quibus interpretatio carere non posse videretur, quamquam multa quae eandem rationem sequerentur nullo additamento aucta praetermisit. Id quoque non ita raro accidit, ut lemmata non eius versus cuius debebant initium aut finem praeponerent sed proximi sive superioris sive inferioris. Quae qui nunc corrigere velit, id quod Iahnius instituit, verendum est ne scholiorum condicioni recte aestimandae officiat magis quam eorum integritati prosit. Nam licet nos qui codicem Pithoeanum non tractavimus de multis, quae in his scholiis offendunt ac retinent, certius iudicare non audeamus, hoc tamen ex ipsa lemmatum ratione cognoscere nobis visi sumus, antiquitus has adnotationes sine lemmatis ad ipsorum versuum initia vel fines in margine dextro aut sinistro adscriptas esse, postea prima vel extrema versuum verba lemmatum loco adiecta ad spatiorum mensuram modo

brevius ut vel unum verbum poneretur, modo plenius pluribus verbis sive perscriptis sive per primas litteras vocum vel syllabarum notatis. Unde cum alii errores orti videntur tum illud qui factum sit intelligitur, ut multis scholiis non sui versus initia finesque praefigerentur. Haec quae breviter significamus scholiis ad istam rationem adornatis tam facile est patefacere quam disputando vel per ambages explanare difficile. Itaque pauca minimeque impedita exempla excerpimus, genus ipsum ut significetur ratioque aperiatur eius scholii ex quo in hanc disputationem delapsi sumus.

II, 13. MARISCAE. nam invenientes stupri vestigia medici rident.

28. IN TABULAM SYLLAE. proscriptorum. Caesar Pompeius et Crassus vel Augustus Lepidus Antonius.

37. CLAMANTEM T. U. N. L. Iulius enim Caesar dederat legem de damnandis adulteris. (ubi facile erat addi I. h. e. *Iulia* quod explicatur, sed nec Iahnius addidit et adiectum fuisse quis affirmaverit?)

49. MEDIA NON LAMBIT. nomina meretricum lambentium.

79. ET DABIT IN PLURES. per te, inquit, Cretice, et alii corrumpuntur.

89. SOLIS ARA DEAE. haec Cereris sacra faciunt. (MARES scilicet quod nomen in versu statim insequitur.)

103. HISTORIA SPECULUM CIVILIS. Otho bellum civile gessit cum Vitellio et victus semet occidit.

105. ET CURARE CUTEM. ironia, quando secum speculum portaret Galva. (haec non recte tractavit Iahnius post CUTEM inserta SARCINA BELLI. *Galva* h. e. GALBAM finem versus 104 notat ad quem haec rectius adscripta essent.)

121. O PROCERES. quo emendet aut quo expiet. (nimirum sequuntur in versu signato *censore opus est an haruspice nobis.*)

132. IUGERIBUS. recede de Martio campo quem tenes qui tibi coeperat aedificari.

IUGERIBUS CAMPI QUEM NEGLEGIS. quidam dicit tamquam interrogatus. (OFFICIUM ad lemma addidit Iahnius.)

136. FIENT ISTA. annalibus contineri. (IN ACTA REFERRI addit idem.)

139. SED MELIUS. quia illis fecunditatem natura non tribuit.

140. NATURA INDULGET. steriles mulieres februantibus lupercis se offerebant cett. (adnotatio ad v. 142 pertinet, sed addendo nihil corrigitur.)

145. ET CAPITOLINIS. quae tunc nobiles intra urbem fuerunt familiae.

161. ORCADAS AC MINIMA. circa solstitium in Britannia prope nox nulla est cett.

III, 29. ARTORIUS ISTIC. per Artorium et Catulum ignobiles .. homines vult intelligi.

30. ET CATULUS M. QUI NIGRUM IN CANDIDA VERTUNT. qui falsum faciunt, qui norunt mentiri.

44. RANARUM VISCERA NUMQUAM. non sum venenarius.

45. INSPEXI FERRE AD NUPTAM. lenocinium exercere non possum.

46. NEMO MINISTRO. non possum assessor esse furis iudicis.

54. ACCUSARE POTEST. nullae, inquit, divitiae tanti tibi sint, cum mala conscientia habeantur. (quibus verbis Iahnius lemma auxit ex hoc versu sumptis ad ea sane adnotatio refertur.)

93. Creditur. nemo sic effigies imitari potest in agendo comoedus ut Graecus id fingere quod vult. (nihil adiecit Iahnius quamquam ratio eadem est.)

98. Nec tamen Antiochus. hi illius temporis comoedi fuerunt.

102. Nec dolet igniculum. si pallium vestierit et ipse poscit.

114. mentio transi. praetermitte minora eorum vitia et veni ad maiora.

115. Gymnasia abollae. proverbium. quasi maioris togae, id est sceleris potioris. (prima et extrema vox versus compositae. Cf. 159.)

121. Qui gentis vitio. Graeci enim soli volunt maioribus amici esse, hoc est μονοφιλεῖς.

124. tempora longi. quidquid ante obsecutus sum.

126. Quod porro. quid faciat pauper, si dives officium sordidum non abnuit aut contemnit.

131. Divitis hic. aut in medium servum mittit aut in sinistra ambulat. (Iahnius cludit latus addit.)

145. fulmina pauper. pauperi enim quasi propter egestatem periuranti dii non irascuntur.

148. Omnibus hic idem. id est pauper.

162. agmine facto. in curia non suscipitur pauper. (in consilio addit Iahnius, quae sunt in eodem versu cuius extremae voces in lemmate positae sunt.)

172. nisi mortuus ipsa dierum. ut ei supra lectum mittant dum mortuus effertur.

179. aedilibus albae. potest esse genitivus, huius habitus nitor; possunt et singula pronunciari nominativo casu. (Iahnius habitus ad lemma adiecit: sed apparet adnotationem ad v. 180 referri.)

184. Cum pretio. tunc tempore suo nobilem et superbum. (cossum add. Iahnius, sed vide ad 203 et 5, 104. 8, 81.)

196. dormire ruina. crepaturas parietum calce modica perfundunt et inquilinos iubent manere cett.

198. Nocte metus. supellectilem pauperis dicit. (frivola add. Iahnius.)

203. Lectus erat. pauper poeta, cuius et supra meminit. (codrum interpres dicit, quod nomen proximum est in versu: non addidit Iahnius. Cf. ad 184.)

211. Nemo cibo. aut sine causa aut panem petentem. (frusta sive frustra interpretatur, quod est in versu priore: Iahnius ad lemma adiecit.)

214. Tum gemimus casus. non incandiunt lares nostri aut prae tristitia aut cett. (tunc odimus ignem add. Iahnius ex eodem versu, quae sane explicantur.)

234. meritoria somnum. taberna, ab eo quod mercedes praestat.

235. Admittunt magnis. magna potentia silentium imponitur vicinis tabernariis vel magno pretio somnus constat.

311. Vomer deficiat. ferramenta sunt quibus terra colitur. (scilicet et marras et sarcula dicit.)

v, 66. Maxima quaeque domus servis. aegre hoc semper servi habent quod illis stantibus amici sui domini discumbunt. (adnotatio ad v. 65 pertinet. Iahnius nihil mutavit.)

75. novisse colorem. qualem mereris manducare. (Iahnius panisque tui lemmati praefixit.)

104. Aut glacie. nomen piscis. (tiberinus add. Iahnius ex eodem versu: sed cf. ad 3, 184.)

116. SPUMAT AP. P. H. quia tubera tonitruis dicuntur nasci ut cocleae.

VII, 21. INDULGENTIA Q. occasionem qua prosit poetis. (MATERIAMQUE add. Iahnius.)

24. IMPLENTUR L. id est fac focum et combure, o Telesine.

62. CORPUS EGET S. id est nihil defuit Oratio sed tantum animos ad poetandum habebat.

64. VEXANT E. D. CHYR. Apolline et Libero.

67. ATTONITAE CURRUS. hic est sensus, quia non ita potuisset scribere Virgilius, si illi defuissent res familiares.

91. ET BAREAM TU N. nobiles illius temporis.

VIII, 81. INCERTEQUE REI. qui tyrannus Siciliae ferebatur tauro aeneo candenti homines includere. (PHALARIS add. Iahnius, quod nomen statim sequitur; sed vide ad 3, 184.)

192. MAMERCORUM. turpitudinis crimina. (FUNERA dicit quod adiecit Iahnius.)

199. LUDUS ET ILLIC. nisi ut gladiatores sint nobiles.

IX, 125. TEMPORIS ET SPES. tanti temporis damnum. (quorum rationem Weidnerus non intelligens falsa collegit.)

X, 227. AMBOS. redit ad senes.

232. SED OMNI. pleno enim ore volat dum incibat filios suos. (Iahnius PLENO praemisit quod in eodem versu legitur et SED OMNI quae sunt versus extrema ut delenda notavit, utrumque falso.)

247. EXEMPLUM VITAE. alii dicunt quia plus vixit quam duae cornices possunt vivere. (vide ad 246 adscripta.)

XI, 8. SCRIBTURUS L. superba et delicata. (REGIA add. Iahnius.)

17. M ARCESSERE SUMMAM. non dubitant mutuo accipere quae perdant magis quam erogant. (versus exit in verba *perituram arcessere summam:* cf. 139.)

107. OSTENDERIT HOSTI. de aere pendentis.

169. EXTENDITUR ET MOX. ad Venerem. subauditur illis saltantibus.

XII, 32. PRUDENTIA CANI. gubernatoris. (RECTORIS a quo versus insequens incipit add. Iahnius.)

Sed subsistimus: si quid exemplis selectis effici potest, haec satis erunt ad fidem faciendam iis quae de horum lemmatum natura diximus; in scholio autem ad satirae secundae versum 42 adscripto, ex quo egressi sumus, iam apparet nec *Scantinia* nomen addendum fuisse, neque a verbis *ac iure citari* novam orationem incipere, sed extrema verba versus citari, ad quem adnotatio applicata est. Quo minus hoc testimonio confisi in versu Iuvenalis *ac* mutabimus, sed in scholio potius *iure* falso scriptum esse pro *iura* credemus.

Etiam alibi scholia, quorum omnino exigua utilitas est, Iuvenali detrimento fuerunt*), velut Ribbeckius nobis non persuasit in satira septima v. 97

---

*) Nuper Buechelerus reiecta interpretis adnotatione qui nihil aliud legisse videatur quam quod est in libris contemptam ab omnibus scripturam suscitavit in satira septima v. 40

et si dulcedine famae
Succensus recites, *Maculonis* commodat aedes:

tunc utile multis
Pallere et vinum toto nescire Decembri,

Iuvenalem non *vinum,* quod libri habent, sed scholiasta teste *somnum* scripsisse. Nam interpretis adnotationem, qua Ribbeckii coniectura nititur, DECEMBRI. *quo mense scilicet solet maxime lucubrari,* non est profecto quod cum *somno* rectius quam cum *vino* conciliari dicamus. Priscianus autem, si potiorum librorum auctoritatem consulimus, *vinum* confirmat, nec *somnum* adiuvat mero errore nata scriptura paucorum *hamum.* Iahnium quoque opinio fefellit, cum in eadem satira v. 58

cupidus silvarum aptusque bibendis
Fontibus Aonidum

ex lemmate scholii INPATIENS CUPIDUS SILVARUM AVIDUS. *ut Oratius* cett. hanc scripturam *avidusque bibendis Fontibus* quam utraque editione recepit petendam putaret. Neque enim aut hoc aut quod eadem via longius vagatus Weidnerus effecit *avidusque bibendi Fontibus* vel a latinitate probari potest; contra aptissimum verissimumque est quod in codice Pithoei ceterisque libris omnibus scriptum est *aptusque bibendis Fontibus.* Unde igitur *avidus* ortum putamus, quod ad explicandum *cupidus* certe adscriptum non erat, neque vero tuto reiici potest nisi origine declarata. Nos dum artificium reminiscimur, quod diximus, verba poetae in lemmatis primis litteris vocum vel syllabarum notandi, quoniam in Pithoeano codice *vivendis* scriptum est ut 11, 203 *vivat* est pro *bibat* in eodem libro, in antiquo codice, unde haec adnotamenta in librum Pithoeanum tralata sunt, haec ita exarata fuisse suspicamur INPATIENS CUPIDUS SILVARUM A. VI. DIS h. e. *aptusque vivendis;* unde perspicuum fit, quae species librarium induxerit qui primus AVIDUS posuit. Compendium illud scripturae, cuius pauca supra allata sunt exempla, quam frequens sit in his scholiis non attinet exponere: unum tantum, ne quis nos incredibilia fingere insimulet, memoramus. Quae apud Iuvenalem sunt in satira decima v. 315 *plus quam lex ulla dolori,* ea in lemmate scholii hanc formam induerunt PLUS QUAM LEX UL. D. RI.

Ab interpretis nugis redimus ad poetam. In satira nona inde a versu 118 haec leguntur

Vivendum recte est cum propter plurima tunc est
Idcirco ut possis linguam contemnere servi.
Praecipue causis ut linguas mancipiorum
Contemnas nec lingua mali pars pessima servi.

Haec longe ferrata domus servire iubetur,
In qua sollicitas imitatur ianua portas.

Neque ipsi dubitabamus quin orationis conformatio nomen flagitaret, non admitteret epitheton, *maculosas* sive *maculonsas,* quod ex his scholiastae verbis prava coniectura effecerant: SUCCENSUS R. M. *alii, sordibus dixit. alii, pictas.*

Deterior tamen hic, qui liber non erit illis,
Quorum animas et farre suo custodit et aere.

Quos versus omnes aut partem eorum plerique hodie Iuvenali adimunt, attribuunt interpolatori. Quod quo iure fiat ut diiudicari possit prius versus ipsos ad sanam sententiam rectamque orationem revocari oportet. Nam quisquis eorum auctor est, sic ut traduntur, a nemine scribi potuerunt, et certum est nonnihil librarios peccavisse. Quorum unum Lachmannus, quamquam in oratione minus probabili, restituit verissime, *causis* esse *caue sis* interpretatus. Porro *nec* (v. 121), quod est in solo codice Pithoeano, olim emendatum est: corrector Pithoeani *nam* reposuit idque reliqui libri habent omnes, nec videtur dubitari posse. Denique lenissima mutatione effectum addimus *tu linguas* (v. 120) pro *ut*. His ita reparatis distinctio adhibenda est, quae olim prave instituta orationis perspicuitatem maxime impedivit. Itaque sic scribimus et interpungimus:

Vivendum recte est cum propter plurima tunc est
Idcirco ut possis linguam contemnere servi
Praecipue. Cave sis tu linguas mancipiorum
Contemnas: nam lingua mali pars pessima servi.
Deterior tamen hic, qui liber non erit illis,
Quorum animas et farre suo custodit et aere.

Ac *praecipue* quod vulgo primum faciunt alterius sententiae ad priorem partem retrahi oratio ipsa iubet: *cum propter plurima tum idcirco praecipue;* neque positus vocabuli in aperta structura obest, nec multo secus in satira septima v. 108

Ipsi magna sonant sed tum, cum creditor audit,
Praecipue

postpositum *praecipue* cum *tum* particula, non cum *audit,* iungi debet: de quo quidem fuerunt qui non recte iudicarent, recte Madvigius (Opp. 2, 180), quamquam vel nunc veram rationem interpungendo obscurant, Iahnius autem versum 109 spurium esse nobis non probavit. Iam sententiarum tenorem qui est in illis versibus evolvere conamur. Hoc enim dicit, quicumque eos condidit: 'Recte vivendum est cum propter multa tum idcirco praecipue ut servi linguam possis contemnere. semper quidem lingua servi timenda est et cavendum omnino ne mancipiorum linguas contemnas: nam servi mali pars pessima est lingua. sed tamen deteriore condicione est is qui male vivendo contemptui erit iis quos ipse emit nutritque. ergo recte vivendum est ut possis contemnere.' Satis apte sententiae circuitus confici videtur, neque oratio habet quod aequo iudici improbetur. Nam quod *contemnendi* verbum bis non eadem vi utrobique positum est, acumen quoddam agnoscimus minime vituperabile, et quidquid praeterea repetitionis est, ipsa sententia procreavit. In satira decima sexta legimus v. 17

iustissima centurionum
Cognitio est igitur de milite, nec mihi derit

Ultio, si *iustae* defertur causa querellae,

in quibus (nam Weidnerus inutiliter argutatur) *iusti* notio cum repetitione variatur. Cf. ibid. 9 et 10. Quod vero dicit *liber non erit illis,* extremi contemptus significatio est, qua vi Propertius scribit 2, 8, 15 *ecquandone tibi liber sum visus? an usque In nostrum iacies verba superba caput?* et Cicero ad Atticum 1, 18, 3 ita iocatur acerbe *quamquam ille pastor Idaeus Menelaum solum contempserat, hic noster Paris tam Menelaum quam Agamemnonem liberum non putavit;* idemque in Actione secunda in Verrem 1, 47, 123 *quemadmodum iste tenuissimum quemque contempserit, despexerit, liberum esse numquam duxerit.* Quamobrem si qui versus quos nec sententia nec oratio culpat, tamen damnandos esse instat, ex sermonis itinere promere debebit, quibus accusationem fulciat. De eo vero nos ita iudicamus ut locus ipse quo positi sint versus vel maxime veros esse probet. Etenim postquam Naevolus quid in domo mariti pathici egerit cum interlocutore communicavit*), eumque impense obsecravit ut soli commissa taceat, ille Naevoli dementiam ridet, qui quae in domo divitis fiant tacita haberi posse putet.

102 O Corydon, Corydon, secretum divitis ullum
Esse putas? servi ut taceant, iumenta loquentur
Et canis et postes et marmora. claude fenestras,
105 Vela tegant rimas, iunge ostia, tollite lumen
E medio, iaceant omnes, prope nemo recumbat:

---

*) In hac oratione Naevoli haec leguntur

Instabile ac dirimi coeptum et iam paene solutum
80 Coniugium in multis domibus servavit adulter:
Quo te circumagas, quae prima aut ultima ponas?

Versus duo priores eiiciunt cum alii tum Ribbeckius qui ieiunam iis rei gestae affirmationem contineri scribit nullo pacto cum Naevoli narratione iunctam. Tertium versum non adverterunt, in quo explicando aegre ferimus quod interpretes, quos inspicere licuit, minime satisfaciunt neque nobis contigit ut satis certo expediremus. Putamus autem hoc dici: *Quo* (h. e. *quid*) *te circumagas aut quae prima ultima ponas?* itaque interpunximus. Sed hoc utut est, tantum intelligere videmur, hunc tertium versum artissimo vinculo cum duobus superioribus constringi ita ut nec illi sine hoc nec hic sine illis locum tueri possit. Etenim Naevolus, maritum testatus se sua virtute uxorem marito impotenti reconciliasse, quoniam illum ad haec relata αἰσχυνόμενον διαπορεῖν καὶ μὴ κατὰ χώραν μένειν intelligit, ita consolans acerbe appellat: *Quid tergiversaris aut quo te circumagis? res vulgaris est et in multis domibus accidit ut adulter instabile ac iam paene solutum coniugium servaret.* Nam coniunctivum in hoc genere interrogationis firmabunt 10, 292 *'cur tamen' inquit 'Corripias? pulchra gaudet Latona Diana'*; et 8, 13. Quod vero Ribbeckius etiam cumulata epitheta vituperat *instabile ac dirimi coeptum et iam paene solutum,* satis est ex eadem satira citari (46) *sed tu sane tenerum et puerum te Et pulchrum et dignum cyatho caeloque putabas;* possunt autem ex multis similia afferri.

Quod tamen ad cantum galli facit ille secundi,
Proximus ante diem caupo sciet, audiet et quae
Finxerunt pariter libarius*) archimagiri
Carptores. quod enim dubitant componere crimen
In dominos, quotiens rumoribus ulciscuntur
Baltea? nec derit qui te per compita quaerat
Nolentem et miseram vinosus inebriet aurem.
Illos ergo roges quidquid paulo ante petebas
A nobis: taceant illi. sed prodere malunt
Arcanum, quam subrepti potare Falerni
Pro populo faciens quantum Saufeia bibebat.
Vivendum recte est cum propter plurima tunc est
Idcirco ut possis linguam contemnere servi
Praecipue. Cave sis tu linguas mancipiorum
Contemnas: nam lingua mali pars pessima servi.
Deterior tamen hic, qui liber non erit illis,
Quorum animas et farre suo custodit et aere.
'Utile consilium modo, sed commune, dedisti:
Nunc mihi quid suades post damnum temporis et spes
Deceptas?'

Apparet versus (118—123) quos Iuvenali vindicamus non interrupto disputationis tenore prioribus adnecti ita ut in universam sententiam, non ad Naevolum applicatam, sed quae recte ex ante dictis colligatur iustumque iis finem imponat, oratio evadat. Nam si demas illud vivendi recte praeceptum, frustra quaerimus, quo tendat ista studiosa criminatio garrulitatis servilis quae nulla in divite domo secreta esse patiatur: qua plus agi consentaneum est quam ut interlocutor sibi imperatum silentium deprecetur. Itaque Naevolus cum ita respondet *Utile consilium modo, sed commune, dedisti* commode filum colloquii pertexens *commune consilium* istud ipsum recte vivendi praeceptum dicit, ad suam scilicet personam non adaptatum. Quamobrem Ribbeckius cum versus 118—123 expunxisset, suo iure in eorum consortium versum 124 adiecit, qui illis omissis locum habere non potest. Qui ut in ea re constantiam probavit, non minus eo, quod versuum illorum sex (118—123) qui totum conficiunt non partem aliquam sed omnes eiecit, ita cum haec (v. 115 sqq.) *taceant illi. sed prodere malunt Arcanum, quam subrepti potare Falerni Pro populo faciens quantum Saufeia bibebat* a Naevoli responso (125) *Nunc mihi quid suades post damnum temporis et spes Deceptas* excipi iuberet, rupto sermonis vinculo effecit ut magno hiatu colloquentium vices discederent. Nos in

*) Nam *librarium* librorum nos quidem libenter mutabimus cum *libario* Ottonis Hirschfeldi coniectura reperto.

contrarium ratiocinantes cum versum 124 nulla iusta vituperatio tangat, hoc quoque argumento utimur quo versus 118—123 huic loco deesse non posse vincamus. Duplicis autem recensionis quae vocatur, qua posita horum versuum difficultates quae videbantur expediri posse rati sunt, nec hoc loco nec ullo in his satiris indicia apparent: ac nos libentius cum Ribbeckii acerrima crisi conflictamur quam cum hoc nebuloso commento quod infauste excogitatum verendum est ne et huius poetae et multorum rationes criticas conturbet ac pervertat.

Scr. m. Octobri a. MDCCCLXXXIII.